



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

3. Quorum vox sit, Deum non curare Mundum?

urn:nbn:de:hbz:466:1-45653

lum suum relapsuras? Quæ, vt fixissimè & cum solatio credamus, credendum est necessariò, eum esse summè sapientem, summè iustum, summè sanctum, summè misericordem.

III. Hac autem in re, vt paulo supra meminimus, non vno omnes ore loquuntur. Impiorum vox est: *Quid enim nouit Deus, & quasi per caliginem indicat. Nubes latibulum eius, nec nostra considerat, & circa cardines cæli perambulat.* Christus, ipsa Dei sapientia erat; Iob. 22. *Nos autem predicamus Christum*, ait Paulus: *Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam.* Has gentes, & illos impios imitantur, qui se putant, à nullo vindice, conspici, cum peccant; aut quibus non rectè videtur Deus iudicare, cum hoc, aut illud, permittit. Ipse Adam, postquam se reum agnouit, magis reum fecit, quando & se latere, & oculis omnia videntis subduci posse putauit. Nam *cum audissent vocem Domini Dei deambulantis in paradiso ad auram post meridiem, abscondit se Adam & uxor eius à facie Domini Dei, in medio ligni paradisi.* Huic errori alium addidit, quando culpam in ipsum Conditorem reiecit, dum in Euam reiecit, à Conditore datam, dicens: *Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno & comedi.* Hac ipsa ratione multi, vt se excusent, non verentur accusare suum Conditorem. Quàm crebri enim dicunt: Cur Deus mihi dedit naturam tam biliosam? cur tam iracundam? cur me fecit tam pronum ad libidines? cur sub Veneris, non sub Iouis stella voluit nasci? & sexcenta talia. Quin & sunt linguæ, quas ita loqui audias: *Quid ad Deum pertinet, de me cogitare? non vacat illi; alia habet negotia; nimis est remotus.* Saltem plurimi sunt, qui non cogitent, se videri; aut aliter facturos se profiteantur, si ipsi ad Mundi clauum sederent. Denique, apud Epicureum, si quis est Deus (dubitat enim) talis est Deus, qui

Lucret. *Nec bene promeritis capitur, nec tangitur irâ.*

IV. Probiore fundamento probi nituntur. Audi sapientem Eccl. 16. 16. *Probiore fundamento probi nituntur. Audi sapientem Eccl. 16. 16. clesiasticum: Non dicas: à Deo abscondar, & ex summo quis mei memorabitur? In populo magno non agnoscar; quæ est anima mea in tam immensa creatura? Ecce cælum, & cæli cælorum, abyssus, & vniuersa terra, & quæ in eis sunt, in conspectu illius commouebuntur, montes simul & colles, & fundamenta terræ, cum conspexerit illa Deus, tremore concutientur.* Ac alius ait: *sapientia eius non est numerus.* Nimirum,